



**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

Fabri, Honoré

Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII

Quæstio 4. Vtrùm Pensionarius teneatur ad officium parvum B. Virginis, si pensio ad vitam sustentandam non sufficiat?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)

penſionibus audiendis totum mane, & maxima pars velperi intendunt, ſive in conſulendis, & gubernandis. Lectores verò toto tempore, quo inſudant ſtudiis ad legendum, & arguendum, præſidendum, & alia exercitia litteraria, quibus ex ſuis conſtitutionibus, uſu, & conſuetudine attendunt, vel intendunt. Scriptores verò toto tempore, quod in ſcribendis, corrigendis, & diſponendis libris gravibus inſumunt, &c. * Et infra num. 11. * Quare etſi in rigore tempus ſuperſit, ut commodè poſſint officium integrum recitare, tamen non tenentur, quia in ſubſidium laboris ſuſcepti, hæc conceditur gratia à Summo Pontifice. * Et inferius, num. 16. adnotat, non eſſe neceſſarium, ut Pſalmi deſignentur à ſuperiore, quia licet in privilegio id dicatur. * Hæc, inquit, non eſt forma, ſed ſolùm eſt modus: Unde licet, & valide poſſet quis uti illo, etiam ſi à ſuperiore Pſalmi non deſignentur, ſed Lector, aut ſcriptor ſibi deſignet, nec longiores, nec breviores. * Hæc ille pro Regularibus, ſed non pro Jeſuitis, quia hoc privilegium non eſt illis à Reverendiſſimo Patre Generali communicatum (prout opus eſt) ut conſtat ex Bulla Greg. XIII. expedita die tertia Maii, anno 1575. Quapropter eo uti non poſſunt, & conſequenter, nec officium Reſurrectionis loco alterius recitare. Imò ut exiſtunt, nec Lectores, nec Magiſtri, neque ſcriptores aliorum ordinum in diebus ſolemnibus præſato privilegio uti poterunt, & per conſequens, nec recitare de Reſurrectione; quia ſimile privilegium pro ſolemnioribus feſtivitibus Nativitatis, Corporis Chriſti, Dominicæ Palmarum, & ſimilibus, conceſſum credere nequeo. Nec in general conceſſione veniunt, quæ in ſpecie verò ſimilis eſt, non fore concedenda. Videatur Thomas Hurtado tom. 2. var. reſol. tract. 12. cap. 1. num. 178. Ubi reſert privilegium à Paul. III. conceſſum Monialibus religioſiſſimi Conventus Hiſpalenſis Sanctæ Mariæ de Gratia. Ut quæ pro tempore ægrotæ, aut aliqua occupatione detentæ fuerint, Pater Noſter aliquoties dicendo, & recitando, debito Horarum Canonicarum, & officii Divini ſatisfaciant. Simileque privilegium jamdiu conceſſerat Innocentius Quartus, anno 1253. Monialibus degenſibus ſub cura Minorum, in Bulla, quæ incipit. *Solet annuere*, ibi: *His, quæ occasione rationabili, non poſſunt aliquando legendo dicere Horas ſuas, liceat, ſicut alie ſorores (non dicatæ choro) dicere Pater Noſter.* * Quo privilegio per communicationem gaudere Moniales omnes, & Religioſos profeſſos, non conſtitutos in Sacris, aliorum Ordinum, dicit Pellizarius tom. 1. Manu. tract. 5. cap. 8. ſect. 2. num. 129. & tom. 2. tract. 10. cap. 6. num. 16. Leand. à Sacram. tom. 6. tract. 8. diſp. 2. quæſt. 32. & 33. & alii.

QVÆSTIO IV.

Utrum Pensionarius teneatur ad officium parvum Beate Virginis recitandum, ſi penſio ad vitam ſuſtentandam non ſufficiat?

1. Quæſtionem hanc exagitatam invento apud Dianam p. 10. tract. 16. reſol. 95. ubi ſic ſcribit: * Quæro quarto: An Pensionarius teneatur perſolvere officium Beate Virginis, ſi penſio ſit tenuis? Reſpondeo, quod Valerius Reginaldus in praxi fori Pa-

nit lib. 30. tract. 3. cap. 4. ſect. 3. (attende) colligit ex Navarro de Orat. cap. 7. num. 25. teneri Clericos ad preces B. Virginis, qui penſionem habent ad vitam ſuſtentandam ſufficientem. * Hæc ſunt Diana verba, quæ ſi ita accipiantur, ut non teneantur recitare, niſi penſio ſufficiat ad integram vitam ſuſtentationem, proſus rejicienda eſt hæc ſententia. Quam nec Reginaldus tuetur, nec ex Navarro deducit, ut jam oſtendo.

2. Et quidem, quod Reginaldus, nec ſentiat, nec ex Navarro colligat, ſed recitativè tantum Navarri ſententiam referat, conſtat expreſſe ex verbis, quæ fideliter ex ſcripta ſubdo: * Eos (Pensionarios) ad recitationem Horarum Canonicarum non teneri, conſentiunt Auctores, &c. Ita Navarrus in cap. 7. de Orat. num. 25. Addens nihilominus, eos, qui penſionem Clericalem habent ſufficientem ad vitam ſuſtentationem, teneri ad recitationem Horarum Beate Virginis ſub eadem pœna, qua beneficiarii tenentur ad recitationem Horarum Canonicarum. * Hæc Reginaldus. Qui ex Navarro, ut videtur, niſi ſibi tenendum colligit. An verò eius mentem fideliter referat? Non diſputo. Sed quidquid de illa ſit, (in qua Valerius, & Diana non conveniunt) certiffimum eſſe debet, in modo ſaltem referendi, Reginaldo Dianam impoſuiſſe; quia aliud eſt, non teneri recitare, qui non habet penſionem ſufficientem ad vitam ſuſtentandam, quod falſiſſimum eſt; aliud, habentem penſionem ſufficientem teneri; quod eſt certiffimum. Hoc concedit Navarrus, non illud.

3. Et expreſſe Reginaldus negat, loco ſuprà citato, ubi ex profeſſo contra M. Dominicum de Soto probat, Beneficium quantumvis tenue obligare ſub lethali ad Horas Canonicas, & pro hac opinione reſertur ab ipſo Diana 2. p. tract. 12. reſol. 9. ubi ſic ait: * Communis ſententia docet, Beneficium, quantumvis tenue, obligare ad Horas Canonicas. Ita Victorius, D. Antoninus, Suarez, Reginaldus tom. 2. lib. 30. tract. 3. ſect. 1. num. 33. * Hæc eſt opinio Reginaldi, quam non ſolum de beneficiariis, quoad Horas Canonicas, ſed etiam de Pensionariis, quoad obligationem recitandi officium parvum B. Virginis, expreſſimè tenet, ubi ſuprà ſect. 4. n. 46. * Adverte, inquit, tertio: Quia Pius V. ſua conſtitutione, pensionarium non recitantem officium parvum B. Virginis, ad reſtitutionem obligat, eadem ratione, qua beneficiarium non recitantem Horas Canonicas. Quæ de hoc quoad modum reſtituendi ſunt dicta, ad illud extendit. * Cum autem Beneficiarius, ut ſuprà ipſe aſſerit, teneatur, etiam ſi beneficium ſit tenue, Horas Canonicas recitare, plane ſentit, Pensionarium ſimiliter ad officium parvum teneri, licet penſio ſit tenuis. Ex quibus apertiſſimè conſtat, ſtriſſiſſimam omnium opinionum in hac parte Reginaldum amplexatum fuiſſe.

4. Verum, quam Diana à veritate proſus alienam Jeſuitæ attribuit, tradit ex ſuo Clericorum Regularium Ordine Angelus Maria Verricelli tom. 1. quæſt. moral. tr. 8. quæſt. 47. num. 7. Ubi loquens de Beneficio quoad obligationem recitandi Horas Canonicas, (& per conſequens de penſione quoad officium parvum, cum æquè ex utroque conſurgat obligatio) ſic ſcribit: * Ad obligationem Horarum Canonicarum requiritur ſufficiens ſuſtentatio ex redditibus beneficii. Qui enim altari ſervit, de altari vivere debet. * Quod tenent alii, quos ſuppreſſo nomine reſert Suarez lib. 4. de Horis, cap. 27. Et Paulus de Palacios ad Sum. Cajetani, ibi: * Beneficium adeò tenue, quod non ſufficiat ad ſuſtentandum Miniſtrum, non eſt beneficium, niſi imperfectè. * Ita Cajetanus, quem

quem laudatum refert Thom. Hurtado tom. 1. de Resi-
dent. fol. 389.

5. Sed plus addit ex Dianæ familia Marcus Vidal,
in *Arca vitali Theol. Moral. tit. de Indice inquis. s. num. 45*.
Pensionarium non teneri sub lethali ad recitandum
officium parvum B. Virginis, licet pensio valde pin-
guis sit, & ad vitam sustentandam superabundans.
Verba eius sunt: * Respondetur primo, hanc Pii
V. constitutionem obligantem Clericos Pensiona-
rios ad officium Beatæ Virginis, pluribus in locis
non esse receptam, &c. Insuper (attende) vide-
tur non obligare ad sui observantiam sub mortali;
tum quia nullum verbum præceptivum continet,
tum quia odia sunt restringenda, & non amplianda,
&c. Tum etiam, quia legis Ecclesiasticæ intentio
est, non iniungere laqueos animabus, sed ad ædifica-
tionem corporis mystici Christi Domini prænovare,
& ideo ut plurimum non obligat sub mortali. Ergo
cum hæc Pii V. constitutio non sit ubique recepta,
neque obliget sub mortali culpa, clare deducitur,
quod pensiones maneat, sicut in anteriori tempo-
re, prophane, & temporales. * Sic Marcus Vidal, &
ante illum nonnulli, quos suppresso nomine refert
Aragon 2.2. quest. 63. artic. 2. prope finem in dubio de Pen-
sionibus, vers. * An autem. * Qui à fortiori dicere tenen-
tur, Pensionarios non recitantes, ad nullam fructuum
restitutionem modò teneri, sicut nec antea teneban-
tur; cum verba constitutionis Pii V. æquè ad reci-
tandum, ac ad restituendum referantur.

6. Ceterum hæc opinio, cuiuscumque sit, omni-
nò improbabilis est, & gravi censura notanda: est
enim expressè contra constitutionem Pii V. ut ab
universis Christi fidelibus intellectam, quæ, quan-
tum ad obligationem recitandi officium parvum B.
Virginis, & restituendi fructus malè perceptos,
æquiparat Beneficiariis Pensionarios, his verbis:
* At quicumque pensiones, fructus, aut alias res Ec-
clesiasticas, ut Clericus percipit, cum modo prædicto
(de habente beneficium) ad dicendum officium par-
vum B. Virginis decernimus obligatum, & pensio-
num, fructuum, retumque ipsarum amissioni obno-
xium. * Quid clarius? Ideo ita communiter tradunt
Doctores apud Palaum * tom. 2. disp. 2. num. 16, & Bo-
nacinam de Horis Canonicis, quest. 5. punct. 2. n. 21.

§. I.

Quid si fructus sint tennes?

7. Dubitant tamen, & merito: An si fructus
Beneficii, vel Pensionis tennes, & exigui
sint, adeò ut ad bonam partem congruam, & moder-
atam sustentationis Clerici non sufficiant, teneatur
recitare? Negativam sententiam, et si nullo duce,
amplexus est M. Sotus lib. 10. de Iust. quest. 5. artic. 3.
quem hac tempestate non pauci sequuntur. Qui au-
tem dicendi tennes fructus, & insufficientes ad ob-
ligandum? Hoc opus, M. Sotus ubi supra de fru-
ctibus beneficii loquens responder: * Dixerim te-
nuissimum, ut fere pro nihilo reputetur, nempe si his
temporibus summam saltem octo ducatorum non
attingeret; nam si ditius est, quamvis non sufficiat
ad victum, si tamen pauperi Clerico (attende) bona
esset pars sustentationis, non omnino possidens ex-
cusatur. De hoc ergo sapientium prudentia consu-
lenda est. * Sic Sotus in editione Salmantina, anno
1553. quo tempore pretia rerum longe moderatiora
erant. Ideo M. Petrus de Ledesma in Summa, quam

postea scripsit part. 2. tract. 9. cap. 4. conel. 5. diffi-
cultatem ad obligationem recitandi re-
quiri. * An parecer (inquit) anque el Beneficio
sea de diez y seis ducados, y aun veinte, no le obli-
garia a rezar. * Sicille. Imò & Sotum hanc senten-
tiam partim tenuisse refert ex auditu Thomas Lau-
chez in opusculi tom. 1. lib. 2. cap. 2. dub. 67. num. 5. Ubi
ait: * Imò Pater Doctor Henriquez teratit milia
quod consultus Soto de beneficio, cuius reditu
erant decem, & sex nummi auri, respondit, non ob-
ligare ad recitandum; & quidam maxime doctores
recentior dixerit, non minus, quam viginti aureos ob-
ligare. * Sic Sanchez referens M. Petrum de Ledes-
ma suppresso nomine.

8. Post citatos scripsit Episcopus Malderus in
tract. 10. de Virtutibus, cap. 2. dub. 3. vers. Nihilominus. Ad
obligationem recitandi requirit, quod beneficium
sufficiat ad tertiam partem sustentationis Clerici
vulgaris. Cui adhærent Quintanadvennas, & Ele-
bar, quos refert, & sequitur Diana part. 3. tract. 8.
resol. 8. Imò Aragon testatur 2.2. quest. 63. artic. 2.
hanc esse communem sententiam recentiorum, sed
immo, ut observat Palaus infra citandus. Fun-
damentum huius opinionis est, quia secundum M.
Sotum necesse est, ad obligandum ad Horas, quod
beneficium sufficiat ad bonam partem sustentatio-
nis Clerici pauperis: minor autem quantitas, quan-
tertia pars, nequit dici sufficiens ad bonam partem
sustentationis.

9. Verum, si hæc opinio esset vera, beneficium
non attingens triginta, vel quadraginta aureos,
non obligaret ad recitandum Horas Canonicas: ut
merito dixit Castro Palaus tom. 2. disp. 2. part. 1. n.
num. 8. * Et certe nisi tertiam partem attingat, dici
non potest, attingere bonam partem sustentatio-
nis. Quapropter si hæc sententia (nempe M. Soti)
vera esset, Beneficium, cuius redditus, hoc tem-
pore, non attingunt triginta, vel quadraginta au-
reos, nequaquam dici potest, attingere bonam
partem sustentationis moderatæ, ut bene notat
Suarez lib. 4. cap. 21. num. 2. Quibus enim de ea tem-
pore Soti non sufficiebant, modo triginta non suffi-
ciunt. * Hæc Palaus.

10. Propterea Doctores alii, contentiones præ-
missis, absolute asserunt, ad obligationem recita-
di Horas Canonicas, requiri, quod Beneficium
attingat quadraginta ducata. Ita Martinus de
S. Joseph tom. 1. lib. 2. tract. 7. num. 3. & Leander de
Sacramento tom. 6. in Decalog. tract. 8. disp. 2. quest. 114.
Ubi subnequit, quod hæc quantitas
debet computari ex solis fructibus, aut redditibus
* qui super sunt (attende) deductis expensis in col-
lectione illorum, & dempta elemosyna, quæ pro Mo-
sis datur, ad quas obligat Capellania. * Sic illi ubi
supra referens pro hac parte graves Auctores, Sa-
chez, Quintanadvennas, Trullench, & Martini de
S. Joseph. Sic discurrunt Doctores, qui ad obliga-
tionem recitandi, valorem tertie partis congrue sus-
tentationis Clerici pauperis, seu moderati, exigunt.

11. Addunt alii, ad obligationem quotidianam
recitandi Horas Canonicas requiri, ut Beneficium
sufficiat ad dimidiam partem congruæ sustentatio-
nis. Sic tradit Hieronymus Garcia in Sum. tract. 2. de
Horis, dub. 2. num. 11. ubi sic: * Potius probabiliter
Trago con Layman, Maldero, Llesio Molesino, Tru-
lench, y Diana, que quando no llega el Beneficio al
medio sustento, que se cumplia con rezar los dias de
fiesta, y Domingos, ó rezar el oficio parvo de media
Sennora cada dia, en lugar del mayor, y lo ultimo el

muy en uso en España, donde todos los hombres doctos, y timorata conscientia lo aconsejan. * Hæc Garcia, sed aperte fallitur. Et nullus eorum, quos citat, hoc asserit: sunt enim ipsi metum Doctores, quos pro alius opinionibus refert, Diana p. 2. tract. 12. resol. 6. Postea verò pro se citare Thomam Hurtado tom. 1. de Resid. tract. de Resident. Canonica, resol. 9. subresol. 15. fol. 389. Ubi laxiorem opinionem tradit, his verbis: * Si Beneficium majorem partem annuæ sustentationis fructibus suis non tribuat, non obligat ad restitutionem, quia non obligat ad solvendas quotidie Horas Canonicas. Ita Sotus ubi supra, dicens, Recentiores Theologos communiter sequi hanc opinionem. Et Navarrus de Horis cap. 7. dicit, suo tempore multos viros pios, & doctos ita sentire. Palatius ad Sum. Cajetani, ibi: Beneficium adeo tenue, quod non sufficit ad sustentandum Ministrum, non est Beneficium, nisi imperfecte. Ita Eminentiſſimus tam ratione literaturæ, quam purpuræ. * Hæc Hurtado, qui paulò infra suadere contendit, onus annexum Beneficio imperfecto non esse, recitare quotidie totum divinum officium.

12. Posteaque ex doctrina M. Sotij pro opinione præfata, sic urgetur. Plus valebant tempore Sotij decem ducata in ordine ad usus humanos, quam modò quadraginta, ergò plus valebant decem, & sex, quam modo sexaginta & quatuor; quia sicut se habent decem ad quadraginta, nempe ut quarta pars, ita se habent 10. ad 64. Sed M. Sotus (ut testatur Henricus, & ex illo Sanchez) Beneficium, cujus redditus erant 16. aurei, judicavit consultus, non sufficere ad obligationem recitandi; ergò idem modo judicaret, licet fructus essent sexaginta & quatuor. Factum, consequentiam urget, & potiori jure, si verum est, quod dicit Hurtado supra num. 18. nempe fructus, qui olim sufficiebant ad majorem partem sustentationis, non sufficere hodie ad octavam partem. Sed quidem, si huic opinioni standum esset, ut modò in Regno Castellæ rerum pretia se habent, centum ducata requirerentur, ut obligationem recitandi inducerent, quia his decem ad congruam sustentationem Clerici pauperis vix sufficiunt, ut non semel à timoratisſimis audivi. Quapropter nunquam concedendum est, requiri valorem dimidiæ sustentationis, ut docuit Garcia, & multo minùs majoris partis sustentationis, ut tenet Hurtado: sed ad summum tertie partis, relinquendo judicio Doctorum, pro locorum, & temporum diversitate, quænam quantitas ad tertiam partem sustentationis sufficiat. Et in hac tandem sententiam venit Hurtado ubi supra, sed inconsequenter quidem ad ea, quæ paulò antea prædicta sunt.

13. Notandum verò hic est, si fructus non attingant tertiam partem sustentationis, Beneficium, seu Pensionarium non recitantem; non solum non peccare, sed neque ad restitutionem teneri. Quia in hoc non facit contra præceptum Ecclesiasticum recitandi Horas. Obligatio autem restituendi fructus Beneficii, non oritur ex præcepto naturali, sed Ecclesiastico; ac proinde, hoc deficiente, non esse hujusmodi obligationem, docent supra viginti Doctores apud Dianam p. 11. tract. 1. resol. 7. quos sequitur Garcia de Beneficiis 3. p. cap. 1. num. 7. Cui principio innuitur communis Doctorum sententia, quæ Beneficiarios non recitantes primis sex mensibus, (etiam si preces alias non fundant) ad restitutionem non obligat: nimirum, quia præceptum Ecclesiasticum solum adstringit ad restituendos fru-

Part 11:

ctus, non recitantem post primos sex menses à possessione Beneficii, ut constat ex constitutione Pii V.

14. An verò Beneficiarius, qui præcepto Ecclesiastico non ligatur ad Horas, ob tenuitatem fructuum Beneficii, modo supra explicato, teneatur jure naturæ ad aliquas preces? Non conveniunt Doctores: negat Suarez tom. 2. de Relig. lib. 4. cap. 16. n. 4. Affirmat cum communi sententia Thomas Hurtado tom. 1. de Resident. Sacra, tract. de Residentia Canonicorum, resol. 8. n. 22. & 35. & resol. 9. n. 3. & 4. At verò, hanc obligationem jure naturæ in hærentem non esse sub mortali, sed sub veniali. Quod docet etiam Navarrus apud ipsum; quia solum oritur ex gratitudine, & oratio, quæ debet fieri, indeterminata est. Quod est valde notandum, & mihi placet, quia nullus est contra huc inter Beneficiarios, & fideles, ex quo obligatio justitiæ consurgat.

15. Si autem ad plenam quæstionis decisionem scire desideras, quid veniat nomine congruæ sustentationis? Respondet M. Corradus 2. p. Respons. quæst. 482. * Sustentationem intelligendam puto, scilicet, victus, vestitus, domus, & ei inservientes. * Et ante illum Cajetanus 2. 2. quæst. 100. art. 2. & 3. ibi: * Sustentationis nomen non tantum venit cibus, & potus, sed quidquid est necessarium ad vitam, & vestitum sui, & eorum, quorum cura sibi incumbit. * Quibus adhæret Martinus de S. Joseph lib. 2. tract. 7. de Orat. num. 13. ibi: * Los frutos del Beneficio son para alimentos del Clerigo, y debaxo del nombre de alimentos, se entiende comida, y bebida, casa en que vivir, vestidos, cama, medicinas, y todo lo necesario para la vida, &c. y tambien criados, si los pide la dignidad, y calidad, y tambien los salarios, q se les dan. Pues vease, si conforme a esto me alargo mucho en senalar quarenta ducados para buena parte de sustento. * Hæc ille, & est sententia Thomæ Sanchez in consiliis, lib. 2. cap. 2. dub. 67. n. 4. Ubi ait: * Nomine sustentationis intelliguntur, non tantum alimenta ad corpus, sed etiam moderatus victus, & vestitus, habitatio, & omnia alia hoc modo necessaria ad moderatam vitam (attende) ac si nil aliud haberet Beneficiarius ad sustentationem; quia id esset per accidens. Ad quod considerandum necessaria est consideratio temporum, & locorum, quia diversis temporibus, & locis, carius valent res. Similiter decencia vestitus diversis in locis diversimodè consideratur. * Hæc Sanchez, quæ sunt valde notanda.

16. Omnia superius dicta de Beneficiis intelligenda veniunt de Pensionibus, quia Pius V. in sua constitutione, quoad obligationem recitandi, & restituendi, eodem prorsus modo voluit manere obligatos Pensionarios, ac Beneficiarios, discrimen solum faciens inter officia recitanda. Et ita cum Suarez, Bonacina, Petro de Navarra, & aliis notat Palaus tom. 2. disput. 2. p. 7. num. 16. Ubi ait: * De Pensionariis non recitantibus officium parvum B. Virginis idem esse dicendum, ac dictum est de Beneficiariis; peccare, inquam mortaliter, post obtentam pensionem, si non recitent, & transacto semestri obligatos esse restituere integros fructus perceptos, quia nullum officium præter recitationem exequuntur, ratione cujus ab integra restitutione excusari possint. Sic obligantur ex supra dicta constitutione Pii V. * Sic Palaus.

17. Verum alii mitius cum Beneficiariis, & Pen-

V

Pen-

Pensionatis non recitantibus se habentes, ad solam tertiam partem fructuum dici correspondendum restituendum obligant. Ita viri sapientissimi apud Henricum 2. lib. 13. de Excommunicat. capit. 13. nu. 2. Ubi sic. * Praxis cum sapientum consilio rigorem decreti Lateranensis, & Pii V. ita temperat, ut Parocho, & aliis relinquatur quadam portio, quia cum titulo sustinent onera beneficio annexa (& in Gloss. lit. v.) ut Parochus, seu Episcopus quintam partem fructuum, quæ in die recitationis horarum responderet, restituat in pia opera, reliquas partes retinebit sibi. Ita Frat. Medina, Frat. Lopez, & in generali Soto. Recentiores in prælectionibus, & consulti Penna, Cuenas, Gallo, & colligitur ex Sylvestro, * & infra lit. Z. * Addit. Frat. Medina, & Penna, & prædicti recentiores: Si Canonici omittant Horas, satis est, ut restituant quartam partem fructus pro rata, alii Beneficiarii restituant tertiam partem. Sed de habente præstimonium solus Frat. Medina obligat restituere omnes fructus diei respondentes, & idem diceret de Pensionario, quia non habet aliud onus, aut officium præter recitationem. At quia onus recitandi his additum videtur accessorie, satis est, ut pro rata restituant tertiam partem, quia cum hac moderatione praxis sapientum acceptavit novam, & rigidam constitutionem Pii V. Reliquas duas partes retinet Pensionarius ob titulum ex causa datum, ut ob sua, aut parentum benemerita in Ecclesiam. * Sic excipit Henricus. Quorum opinionem tutam, & probabilem esse ait Trullenh. in expositione Bullæ Cruciatæ, lib. 3. casu 2. num. 3. Et videntur tenere alii apud Dianam part. 2. tract. 12. resol. 8. & Thomas Sanchez tom. 1. consil. lib. 2. capit. 2. dub. 84. Quibus non dissentit P. Mendon Bull. disp. 34. cap. 2. num. 25. Et novissimè probabilem esse, dicit M. Frat. Antonius Baco Augustinianus in summ. disp. 35. cap. 9. Sed illam nimis laxam vocat Lessius lib. 2. cap. 34. dub. 32. num. 177. & improbabilem Palaeus, ubi supra punct. 7. num. 9. licet alii eam referentes non improbant.

18. Et quidem cum Beneficium sit propter officium, & hoc in prædictis Beneficiariis aliud non sit, quam horarum recitatio, quando hæc deficit, totum officium deficit; ergo & totum pro illa die Beneficium: ergo ad nullam partem fructuum diei correspondentem titulum habet, & consequenter omnes restituere tenentur. Idemque à fortiori de Pensionariis dicendum, quos Pius V. Beneficiariis quoad obligationem restituendi pares esse voluit. Non tamen audeo sententiam Patris Henriquez, & aliorum improbare, maxime cum lex Pontificia, ut ab eo explicatur, acceptata fuerit, & sapientum praxi confirmata, quia sicut leges non acceptatæ non obligant, ita nec aliter quam acceptatæ fuerint. Nec fides tantis Doctoribus negari debet.

19. Pro coronide advertendum est, Pensionarium non initiatum sacris, si efficiatur miles Ordinis Militaris D. Jacobi, Alcantaræ, aut Calatravæ, &c. cum indulto retinendi pensionem, satisfacere obligationi recitandi officium parvum B. Virginis, si orationes Dominicas, & Angelicas à sua Religione præceptas recitet. Quia Pius V. solum obligare voluit, ad recitandum prædictum officium B. Virginis, eos Pensionarios, qui aliàs ad nullas preces adstricti erant. Sic docet Garcia de Beneficiis, 3. part. cap. 1. num. 117. cum Vega, Manuel, Rodriguez, & Petro de Ledesma, quos cum aliis sequitur Bonacina disp. 1. de Horis Canon. quest. 2. punct. 4. num. 2. Quam doctrinam extendi ad Religiosos Societatis Jesu, recitantes orationes solitas in Societate, putat probabile Tancre-

di de Relig. tract. 3. lib. 4. quest. 6. Sed illi non assensunt, quia hi Religiosi ad præfatas orationes adstricti non sunt. Neque aliis Doctoribus supra citatis consentiam, nisi Militares, ut potè quibus officium divinum in prædictas orationes auctoritate Apostolica commutatum fuit, ad eas recitandas sub legalitate neantur, quod negat Leander à Sacramento tom. 1. tract. 8. disp. 2. §. 1. quest. 22. dicens, sibi esse certum, non teneri. Et saltem, ut audio, hæc obligatio, licet olim imposita, in desertudinem abiit, vel minimum ab obligatione gravi immunes, communis ordinum militarium sensus sæculares equos conjugatos, quibus pensiones antea Ecclesiasticæ, titulo laicali, ex concessione Pontificis, continebantur, & vulgò jam dicuntur *Carallari*, non tenent ad officium parvum B. Virginis: & hunc effectum illius dispensationis. Sic à viro doctissimo Curia Romana subscripsi legi. Sed verba dispensationis standum censeo: nec aliud esse potest præsumptum, ex quo hujus casus decisio in favorem equis conjugatis, admitti possit.

DISPUTATIO III. de Oratoriis.

QVÆSTIO I.

Utrum virtute Cruciatæ possit quis sine alio privilegio, in domo privata oratorium erigere, quod ab Episcopo designetur, & approbetur ad celebrandum? ubi an licentiam concedere queat Commissarius Cruciatæ?

S. PRIMUS.

Affirmativa sententia Auctores referuntur.

I. Privilegium Bullæ Cruciatæ adeo aliquando præstatur, ut asseruerint, cuiuslibet alicuius Cruciatam licitum esse in domo sua, oratorium erigere, & ab Ordinario approbatione obreta, in eo celebrare, vel celebrari facere. Sicut docent nonnulli, quos suppressio nomine refert Trullenh. in exposit. Bullæ, lib. 1. §. 3. dub. 4. nu. 6. Ubi sic. * Quidam existimant, & insinuat Rodriguez, §. 1. num. 4. in Addit. ad §. 5. per illa verba Bullæ, ut oratorio privato possint celebrare, vel celebrari facere, & visitato per Ordinarium, possint celebrare, vel celebrari facere, etiam interdicti tempore: ita tamen quod facta ab Episcopo approbatione oratorii, non sit in ejus potestate impedire, quominus quocunque tempore, ratione Bullæ in eo celebretur. * Sic refert Trullenh.

2. Hujus opinionis antesignanus fuit Doctorum Mag. Dominicus de Soto in 4. disp. 13. art. 3. Ubi præstat quam statuit, licere ex necessitate extra Ecclesiam celebrare, concludit: * Sed præter necessitatem, licet & Minori privilegio: Prædicantibus enim, & Minoribus indultum est, ut cum altari portatili possint, etiam sine licentia Episcopi, extra Ecclesiam celebrare: ut præ-